

*1 Quicquid Propheta, vel Apostolus, vel Evangelista ex inspiratione divinâ dicit, non est particulare seu singulare, sed universale.*

Potest quidem dici singulare, respectu personæ ministerialis, at non respectu testatoris auctoritativi. Et hinc est, quod unius Prophetæ vel Apostoli testimonium est validissimum ad probandum.

*2 Argumentatio à testimonio divino fit negativè duobus modis.*

Primò, quando Deus in verbo suo aliquid disertim & conceptis verbis non esse testatur: ut testatur se nolle, ut honorem habeamus diis alienis. Deinde, cùm filet de eâ re, quæ est controversa: ut, hoc non est pro articulis fidei habendum, verbi gratiâ, quod Papa Romanus sit caput Ecclesiæ: quod Missa sit sacrificium: quod fides prævisa sit causa electionis ad vitam æternam. Ratio: quia Deus nusquam in verbo suo hoc testatur. Sed non valet argumentatio à testimonio particulari negativè, cùm alii contrarium testantur. Non enim sequitur; Matthæus & Marcus nihil scripserunt de circumcisione Christi. Ergò Christus non est circumcisus. Etsi enim Matthæus & Marcus id non scripserint, Lucas tamen consignavit & Paulus Apostolus. Itaque de postremo hoc argumentationis modo accipiatur illud: *A non scripto ad non esse, non valet consequentia.* Item: *Ab autoritate non licet argumentari negativè.* Hic notandum est, quod à testimonio divino in philosophicis non liceat argumentari negativè: ut, non sequitur. Deus non dixit, bis bina esse quatuor. Ergò nec hoc est verum, bis bina efficere quatuor. Est igitur usus testimonii divini in philosophiâ duntaxat affirmatus.

**Testimonium humanum est, quod hominem, quâ homo est, authorem habet.**

Dicitur in definitione, *quâ homo est.* Nam si vel Deus ipsius ministerio utatur, & immediate ipsi aliquid inspiret, est testimonium divinum; vel Diabolus ipsius operâ abutatur, est diabolicum.

Q 4